

tenentur, reverentia choro intersint, adsistantque, nec non pari pietate, attentione ac vigilantia, omnino canere, vel psallere cum cæteris studeant et contendant. » § 8. « Deinde iisdem edicas et notum facias, Nos quemadmodum per hasce nostras in forma Brevis litteras tibi declaramus et injungimus, decernere atque statuere, sicut in eadem constitutione nostra innuimus, ipsos suosque successores canonicos, choro quidem interessentes adsistentesque, minime vero canentes psallentesque, nullo pacto ex præbendis et distributionibus facere fructus suos, atque adeo restitutioni obnoxios esse ac fore » (1). Hinc remanet decisum, ut scribit S. Alphonsus de Ligorio (2), quod canonici vel non interessentes, vel non canentes, aut psallentes in choro, nedum distributiones quotidianas admittant, sed etiam non faciant fructus suos ex præbendis, atque ad restitutionem sint obnoxii.

Probatur 4<sup>o</sup> ex declarationibus S. Concilii Congregationis, quæ decrevit, canonicos in choro alta voce non psallentes, distributiones quotidianas non lucrari, quavis consuetudine non obstante (3); et in terminis canonicorum cathedralis Patavinæ 17 Sept. 1667 rescripsit in hæc verba : *Sacra Congregatio declarationibus sæpe alias editis inherendo, censuit, illos non solum canonicis horis interesse, sed etiam per se ipsos psallere, quacumque etiam immemorabili contraria non suffragante consuetudine, teneri, neque alias suæ obligationi satisfacere* (4).

### § 7. De cæremoniis officii divini.

I. Rubricæ quoad tempus standi, sedendi et genuflectendi in choro servandæ sunt, non obstante consuetudine immemorabili (5), sub veniali tum propter uniformitatem, quam non servare in publico

(1) Vid. etiam instit. 107, § III, et de synodo lib. XI, cap. III, n. VIII et lib. XIII, cap. IX, n. XI.

(2) Loco cit. in fine.

(3) 7 Junii 1631 in *Vicentina* lib. 15 Decretor. p. 365 apud Pallottini *Canonici* § VII, n. 61.

(4) Apud Scarfantonum lib. 2, tit. VIII, animadv. 9. Vid. Fagnanus in 1 p. lib. III Decretal. de præbendis, c. *Licet*. n. 89; Pallottini *Canonici* § VII, n. 60 et seqq.; Pontas verbo *chanoine* cas. VI; Bouix de capitulis p. 3, cap. II, § VI; Henry de residentia beneficiat. c. V, art. II, § 1; S. Alph. de Ligorio, theol. mor. lib. 3, n. 675, dub. 2 et 3, et lib. 4, n. 129.

(5) S. R. C. 12 Nov. 1831, *Pisana*, 1.

officio, parit aliquale scandalum, tum ratione transgressionis et offensionis aliorum eas observantium (1).

II. Canonici aliique habitu choralis induti, singulatim ad chorum accedunt, nisi alia sit ecclesiæ consuetudo, præcipue in diebus solemnibus. Se gerunt, sicut in Praxi mea Pontificali tom. 1, n. 151 explicatum est. Cum ad stallum suum pervenerint, sedent. Dato signo incipiendi, omnes surgunt. Officio finito, omnes genibus flexis paulisper orant, ad Deo gratias agendas et veniam de defectibus petendam, dicendo orationem *Sacrosanctæ* aliasque preces ad libitum, ut in Cæremoniali Episcoporum lib. 1, cap. 15, n. 11, et lib. 3, c. 4, n. 7, præscribitur.

De rubricis in choro servandis vid. Sacræ Liturgiæ Praxis tom. 2, n. 375 et seqq. et Praxis Pontificalis tom. 1, n. 245-249.

## CAPUT XXVII.

### DE MISSA CONVENTUALI.

#### § 1. Origo, antiquitas et præstantia Missæ conventualis.

I. Celebrandæ applicandæque missæ conventualis origo repetenda est a primis usque Ecclesiæ temporibus, quibus in sacris Diptychis nomina eorum describebantur, quorum liberalitate ecclesiæ patrimonium constitutum et auctum fuerat. Cum porro horum Diptychorum usus sensim exoleverit, hincque benefactorum perierit memoria; Ecclesia tamen eorundem non oblita, missam conventualem pro benefactoribus in genere celebrandam esse imperavit, licet iidem pii benefactores in suis donationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se bona sua Deo offerre declarassent (2).

II. Missæ igitur conventualis celebratio tempore prior est, quam ejus applicatio pro benefactoribus in genere; hanc enim specialem applicationem Ecclesia postea tantum præscripsit, ut liquet: ita ut primaria et specialis obligatio dicenda non sit ipsa applicatio, sed

(1) Cæremoniale Ep. lib. 1, cap. V, n. 4; Lucius Ferraris *Officium divinum* art. IV, n. 33; Scarfantonus lib. 2, tit. V, n. 27.

(2) Bened. XIV, Const. *Cum semper oblatas* 1744, § 14; Pallottini *Canonici* § 2, n. 1-3.

ipsa potius missæ et officii celebratio, quæ sicut prior est tempore, majorem etiam sibi rationem vindicat.

III. Missa conventualis præcipuum obtinet locum inter munera choralia : quamvis enim non sit de horis, est tamen de officio, et venit divini officii appellatione (1); sub officii divini nomine comprehenditur, ejus quidem præcipua pars censetur, talisque semper habita fuit, quinimo primo intenta est, et horæ canonicæ tanquam dispositiones ad eam ordinantur (2).

### § 2. Obligatio missæ conventualis.

I. Missa conventualis de officio corrente in ecclesiis Metropolitanis et Cathedralibus quotidie celebranda est juxta sacrorum canonum sanctiones, quæ adeo claræ sunt, ut nulla super iis oriri possit dubitatio (3). Ratio est, quia tale earum est institutum et propria obligatio (4). Quod si missæ sacrificium inter horas canonicas haud refertur, ut ait Benedictus XIV (5), tamen officii divini nomine satis intelligitur. Quapropter cum in ecclesiis metropolitanis et cathedralibus divinum officium quotidie indicatur, etiam missa conventualis quotidie est celebranda.

II. Hæc missa conventualis celebranda est : 1° etiamsi missa aliqua votiva aut pro defunctis cantanda sit, sicut S. R. Congregatio sæpius declaravit : 16 Maji 1626 in *Burgen* : « An ob quasdam missas votivas fundatas in ecclesia, ad altare majus certis diebus hebdomadæ secundæ post pascha, possit licite omitti missa conventualis? Ad quod S. C. respondit : *Non posse omitti.* » 16 Januarii 1627 in *Januen.* et *Papien.* : « An possit omitti missa conventualis ob anniversarium aliquod vel diem obitus? Et ad hoc S. C. respondit : *Negative.* » 20 Decembris 1783 in *Lusitana* 1 : « Num in ecclesiis choro adstrictis diebus illis, in quibus officium aut nocturnum defunctorum recitatur die duplici majori, vel

(1) *Distinct.* XII, can XIII *De iis*; lib. III *Decretal.* tit. 41, de celebrat. miss. can. XI *Cum creatura*; *Bened.* XIV *Instit.* 107, § II; *Fagnanus* in 2 p. I *Decret.* de ætat et qualit. *Ut abbates*, n. 82.

(2) *Pallottini Canonici* § 2, n. 5-7, 116.

(3) Ita Benedictus XIV, *Const. Cum semper oblatas* 19 Aug. 1744, § 11; *Decreta* S. C. C. vid. apud *Zamboni* tom. 1, *Canonici*, § IV, tom. IV, *Missa* § VII, item officium § III; et apud *Pallottini canonici* § 2.

(4) *Clericatus de Sacrif. mis.* decis 38, n. 7.

(5) *Instit.* 107, § 2.

minori, vel semiduplici, præter missam de *Requiem*, debeat necne missa alia celebrari officii illius diei? Et S. C. respondendum censuit : *Affirmative, quia missa conventualis de officio currenti omitti non potest.* »

2° Hæc missa quotidie celebranda est, licet in capituli erectione nullum verbum habitum fuisset de sacrificii applicatione, aut pii fundatores in suis donationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se bona sua Deo offerre declarassent (1).

3° Celebranda est non obstante consuetudine contraria : Sacra enim C. Congregatio (2) resolvit, canonicos ecclesiæ cathedralis teneri ad celebrationem missæ conventualis singulis diebus, non obstante contraria consuetudine : et ut disponit Benedictus XIV in citata Constitutione § 16 : « Nonnulli obtentu contrariæ consuetudinis etiam immemorabilis, in propria ecclesia vigentis, se ab hujusmodi onere eximi posse sibi persuaserunt. Verum jam pluries responsum fuit, hujusmodi consuetudinem, licet immemorabilem, quæ potius abusus et corruptela dicenda est, nemini suffragari. »

4° Celebranda est non obstante tenuitate reddituum : quanquam enim capitulum et canonici ecclesiæ cathedralis et parochialis in eorum favorem consuetudinem, reddituumque tenuitatem allegarent; Sacra tamen Congregatio decrevit, eos obligari applicare quotidie missam conventualem pro fundatoribus et benefactoribus in genere (3).

5° Celebranda est non obstante paucitate canonicorum : licet enim pauci sint canonici, communiter tamen in cathedralibus sufficiens habetur numerus inservientium, quibus ad sacra famulantibus, celebrari potest, et de facto celebratur missa conventualis (4).

III. Hæc obligatio celebrandi quotidie missam conventualem in cathedralibus, juxta doctores (5) est sub mortali; quia est materia gravis, et quæ omnium plurimum confert ad divinum cultum, cui

(1) Benedictus XIV, *Const. Cum semper oblatas* 19 Aug. 1744, § 14; *Pallottini canonici* § 2, n. 17 et 18.

(2) 16 Nov. 1652, *Tusculana* lib. 12 *Decretor.* p. 210, apud *Zamboni* tom. 1, *canonici* § IV, n. 3, et apud *Pallottini canonici* § 2, n. 8.

(3) *Batneoregien.* 19 Aug. 1713, dub. 1, apud *Zamboni Capitulum eccl.* § V, n. 29.

(4) *Bouix de capitulis* p. 3, cap. III, n. VIII.

(5) *Pignatelli* tom. I, *consult.* 321, n. 2; *Lucius Ferraris Canonicus* art. V, n. 65; *Pasqualigus* q. 876, n. 6.

per omissionem maxime detraheretur, imo plus quam si non celebrarentur horæ canonicæ, cum major sit cultus sacrificii, quam horarum canonicarum : ita ut neque una tantum vice sine gravi peccato omitti possit absque justa et rationabili causa. Si vero justa adsit causa, cessat obligatio, quia hæc se habet, sicut aliæ obligationes quæ cessant ex rationabili causa (1).

IV. Hæc obligatio etiam subsistit in Gallia, Belgio aliisque locis, ad quæ spectat concordatum 1801, ut dictum est cap. XXV, § 5, quia, ut ibidem explicatum est, in his locis illa occasione nulla data est facultas ullam missam conventualem omittendi : cum igitur lex generalis sit, missam conventualem in ecclesiis cathedralibus quotidie celebrandam esse; hæc obligatio in Gallia, Belgio aliisque illis locis existit, nisi speciali indulto Apostolico ab ea dispensatum fuerit (2).

§ 3. *Obligatio duarum vel trium missarum in feriis et vigiliis.*

I. In feriis quadragesimæ, quatuor temporum, rogationum et vigiliarum, si duplex vel semiduplex festum vel octava occurrat, in ecclesiis cathedralibus et collegiatis cantantur duæ missæ. Hanc alteram missam celebrandam esse, præscribunt Rubricæ generales Missalis tit. III, n. 1; liber III Decretalium tit. 41, can. XI *Cum creatura*; plura Sacræ Concilii Congregationis decreta (3), et S. Rit. Cong. ut sequitur : » Propositi sunt SS. et ad S. C. remissi abusus duo introducti, qui egent reformatione, quorum alter est, quod omittitur missa de feria conventuali in cathedralibus et collegiatis, quæ est omnino dicenda ultra missam festi. Ad quod S. C. respondit : *Nulla pacto esse omittendam dictam missam conventualem* » (4).

In ordinatione, occasione currentis festi novem lectionum, debent in cathedralibus cantari duæ missæ; potest per canonicos cantari illa de festo, per Archiepiscopum vel Episcopum facientem ordinationem cantari vel saltem celebrari altera de feria (5).

(1) Pasqualigus ibidem n. 7.

(2) Vid. Bouix loco cit. n. X; Craisson n. 2346 et 2347.

(3) 28 Feb. 1722 in *Brundusina*; 24 Aug. 1743, in *Camerinen*, dub. IV; 11 Maji 1793, dub. 1, *Civitatis Piebis*; 8 Jul. 1818 in *Clomaclen*; 23 Aug. 1873 in Actis Sanctæ Sedis vol. VII, fol. 626; Benedictus XIV, Constit. *Cum semper oblatas* 19 Aug. 1744, § 20; Pallottini *Canonici* § 2, n. 268-273.

(4) 16 Januarii 1627, *Abusus duo reformandi*.

(5) S. R. C. 10 Julii 1677, 4, *Cusentina*.

II. Hæc altera missa de feria vel vigilia celebranda est non obstante consuetudine etiam immemorabili, ut declaravit S. C. (1) et S. R. Congregatio (2); non obstante tenuitate redituum (3); non obstante celebratione capituli (4), neque quovis urgente negotio (5) : ita ut capitulum ecclesiæ cathedralis teneatur ad celebrationem harum missarum, nisi doceat de indulto Apostolico, uti respondet S. C. Congregatio (6).

III. Plures auctores censent, hanc secundam missam de feria vel vigilia non cadere sub gravi præcepto, quia de hac gravi obligatione non constat (7) : plures autem etiam asserunt, gravem adesse obligationem, quia est de re gravi; non est major ratio de una missa quam de altera, et utraque est conventualis et principalis; altera missa a Sacra Congregatione Rituum et Concilii stricte præscribitur; et S. Pius V in virtute obedientiæ præcipit, ut missa decantetur juxta ritum, modum ac normam missalis Romani, in quo hæc ipsa missa præscribitur (8). Quidquid autem sit, cum altera missa de feria aut vigilia in rubricis missalis præscribatur, admitendum est cum Merati (9) omnes peccare, qui sunt in causa, ut non celebretur talis missa, quia, quando omissio est peccaminosa, qui est causa omissionis, est causa peccati. Obligatio tamen secundæ missæ levior dicenda est quam primæ, eo quod hæc pro benefactoribus applicanda sit, non autem semper illa, ut infra dicitur.

IV. Hæc duæ missæ in choro celebrandæ sunt in feriis quadragesimæ, quatuor temporum, rogationum et vigiliarum, si duplex vel semiduplex festum, vel dies octava occurrat, de festo post tertiam et de feria post nonam. Item si vigilia occurrat infra octavam Corporis Christi, duæ dicuntur missæ, una de octava post tertiam, et altera de vigilia post nonam. Inter vigiliis excipiuntur, 1º si vigilia occurrat in festo 1. classis, in quo nihil fit de vigilia;

(1) 23 Aug. 1873, in Actis S. Sedis vol. VII, fol. 626.

(2) 9 Ap. 1633, *Aquilegien*; 19 Nov. 1639 *Incerti loci*; 16 Nov. 1649 *Bellicastren*; 22 Julii 1848, *Adjacen*, 4; Clericatus de Sac. m. decis 38, n. 16.

(3) S. C. C. 23 Aug. 1873 ut supra, et S. R. C. 16 Nov. 1649 loco cit.

(4) S. R. C. 16 Maji 1626, *Burgen*, 3.

(5) Clericatus loco cit.

(6) 23 Aug. 1873 in Actis S. Sedis ut supra.

(7) Castaldus *Præcis caeremoniarum* lib. 2, sect. 6, cap. 3, n. 20; Quarti, *Rub. missalis*, p. 1, tit. 3, s. 1, dub. 3 allique ibi cit.: Bissus lit. m. num. 239, § 1.

(8) Gavantus p. 3, tit. II, n. 7; Pasqualegus q. 894; Clericatus de Sacrif. missæ decis. 38, n. 13-16.

(9) P. III, tit. XI, n. IV.

2<sup>o</sup> si vigilia occurrat in quadragesima et quatuor temporibus, missa dicitur de feria cum commemoratione vigiliæ; 3<sup>o</sup> si alicubi festum celebretur in vigilia Epiphaniæ, missa dicitur de festo cum commemoratione vigiliæ (1). Item feria secunda rogationum, occurrente festo simplice, duæ missæ cantandæ non sunt (2).

In vigilia ascensionis, si occurrat festum duplex vel semiduplex, juxta propriam rubricam tres canuntur missæ, de festo post tertiam, de vigilia post sextam et de rogationibus post nonam.

Prima die cujusque mensis (extra adventum, quadragesimam et tempus paschale) non impedita officio duplice vel semiduplice, occurrente tamen festo simplice vel feria propriam missam habente, vel si reassumenda sit missa dominicæ præcedentis, dicuntur duæ missæ, pro defunctis post primam, et de festo simplice vel feria post sextam (3).

In die commemorationis omnium fidelium defunctorum etiam cantantur duæ missæ, una officii currentis, post tertiam, et altera pro defunctis post nonam.

In diebus anniversariis electionis et consecrationis Episcopi (4), et quandocumque votiva cantatur, ut in solemnitatibus Epiphaniæ SS. Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, atque S. Patroni loci per totum territorium reipublicæ Gallicanæ (5) duæ cantandæ sunt missæ.

Notandum est, non esse celebrandam secundam missam in dominicis, in quibus festum duplex occurrit, neque in die, in qua ante septuagesimam vel dominicam ultimam post pentecosten fit de dominica anticipata, etiamsi officium novem lectionum occurrat (6).

#### § 4. Applicatio missarum conventualium.

I. Missa conventualis de officio currente singulis diebus pro benefactoribus in genere applicari debet (7); etiamsi in erectione

(1) Cavalieri tom. 2, decr. 126, n. 7; Vid. Rub. gen. missalis tit. III, et S. Lit. prax. ibidem.

(2) S. R. C. 5 Jul. 1698, *Cotten*, 3.

(3) Rub. gen. missalis tit. V, n. 1; S. Lit. prax. tom. 1, n. 50.

(4) Praxis Pontificalis tom. 3, n. 259.

(5) Sacræ Liturgiæ Praxis tom. 2, n. 299.

(6) Cavalieri tom. 2, decr. 120, n. 22.

(7) Benedictus XIV Constit. *Cum semper oblatas* 19 Aug. 1744, § 11-13. Hæc constitutio dirigitur ad Italos: cum autem data sit ad ambiguitates omnes tollendas, ut ipse observat de Sacrificio missæ sect. 2, § 60, cum jus commune explicet,

capituli nullum verbum de applicatione factum fuerit (1), et non obstante consuetudine immemorabili, neque exiguitate reddituum, neque alia quacumque ratione (2). Redituum tenuitas capitulares ab onere missæ conventualis non eximit; si vero valde tenues fuerint, tunc ut monet Benedictus XIV (3) « Tridentina Synodus sess. 24, cap. 15, opportunas rationes ostendit, quibus canonicalium præbendarum inopiæ valeat provideri. Si vero designatam a Concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recursum habere; cujus erit, perspecto ex *Episcoporum* relationibus rerum statu, auctoritate Apostolica a prædecessoribus Nostris eidem impertita, et a nobis etiam præsentium tenore confirmata, quotidianam applicationem missæ conventualis pro benefactoribus in genere ut alias, ad festos tantummodo dies reducere » (4).

Si ille qui missam conventualem celebrat, sit parochus, et missam pro populo applicare teneatur, vel aliunde sit obligatus; tunc missam conventualem pro ecclesiæ benefactoribus in genere applicet, et alterum substituatur, qui ejus loco missam pro populo aut pro alia obligatione celebret, applicetque (5). Si Episcopus missam pontificalem celebret, cum eam diebus festivis pro ovibus suis applicare debeat; tunc hebdomadarius vel is, cui onus inest missæ conventualis, illam lectam ante vel post missam pontificalem celebrare, simulque applicare tenetur (6). Idem obtinet Episcopo impedito vel sede vacante: dignior capituli, qui loco Episcopi celebrat, missam pro benefactoribus in genere eo die applicare non tenetur, sed hebdomadarius (7): quia alias dignior qui celebrat, duplex subiret incommodum missam scilicet celebrando, eamque applicando, et hebdomadarius ab omni onere liberaretur, et commodum haberet.

confirmet et approbet omnia decreta S. C. C. ea de re existentia, quæ non ad solos Italos sed ad alios quoscumque directa fuerunt; ipsa constitutio ubique ut regula sequenda est. Hæc decreta vid. apud Merati p. 3, tit. 12, n. 2; apud Muhlbauer *missa conventualis* lit. a; Analecta juris Pontif. sér. X, 1869, fol. 1040; Pallottini *Canonici*, § 2, n. 119-128.

(1) Pallottini *Canonici*, § 2, n. 17, 18, 139, 366.

(2) Benedictus XIV Constit. cit. § 16-19. Decreta S. C. C. vid. apud Pallottini *Canonici* § 2, n. 129-142, et apud Zamboni tom. 4, *Missæ* § 7, fol. 447, 1 col. post med.

(3) Constit. cit. § 19.

(4) Pallottini *Canonici* § 2, n. 362-388.

(5) Benedictus XIV Constit. cit. § 17; Zamboni *canonici* § 1V, n. 17 et 19.

(6) S. R. C. 12 Nov. 1831, *Marsorum*, 20.

(7) S. C. C. 4 Mart. 1876, in Actis S. Sedis vol. 9, fol. 331.